

tationes nunquam deponere. g) Ad prius membrum respondet Boxhornius, aliud esse belli *causam justam*, aliud *usum rectum*, jam quæri de *causa* h) ad posterius differit Berneggerus: i) Imperatores vocari Augustos, non quod debeant rapere aliena, sed recuperare amissa & tueri præsentia: additq; Augusti nomen non ab *augendo* sed ab *augurio* derivari, juxta illud Ennii k)

*Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est*

Ista dum ulterius consideramus, incidit distinctio inter causas bellorum *occultas & manifestas* l) seu, ut distingvit Polybius m) inter *αἰτιασθέντων* (titulum dixit Livius, pretextum Svetonius n) & *αἰτιασθῆναι* causas; ut ut quoad occulta comparatus sit Principis animus, sufficit si justa causa suum desiderium tegere possit. Romani profecto Imperii sui initium faciebant, non tam à justitia, quam à violentia, o) unde falsa Carneadis oratio: p) Romanos si justis esse velint, debere ad casas redire, & in necessitate ac miseria jacere: nihilominus tamen maximopere jactabant, se omnia bella justè suscepisse atq; propterea in periculis Deos habuisse propitios. q) Perpendamus jam quomodo Romulus excusari possit. Nam de occulto affectu non judicabimus. Invadebant eum vicinæ gentes, quæ novam remp. armis ad interitum lacessere conabantur: Licebat igitur vim vi repellere. r) Hoc enim & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumq; ope possent à corpore, à capite, à vita propullarent. s) Dicis, ast justum ob raptas filias bellum movebant vicini: Possemus respondere, justam quoq; esse defensionem, cum justè quis bello infestetur t) cum absolutum censeatur pro defensione rei suæ arma capere posse: u) sed quid opus? quam justam habuerint causam ostendimus th. XVI. ut taceam9 de Legatis, quos minus honorificè exceperant. vv) Et quoniam hæc ita se habent, non tantum se defendere, sed hostes quoq; offendere jure poterat. Nam quis acquiescat in simplici eorum propulsatione? Profecto qui semel nocuit, creditur adhuc nociturus x) atterenda igitur ejus vires, ne possit etiam cum velit nocere y) Nec obstat, quod pœna excedat injuriæ proportionem. Si enim ipse Deus furtum dupliciter, tripliciter, imo quadrupliciter jussit restituere z) cur in hoc casu utriusque partis damnum lineis parallelis metiri velimus?

a) Tacit.